H T




John Carter Brown.

/46 88½

Robin Rich

[illegible]

XXIII

# DE PHILOSOPHIA CANADENSIUM POPULI IN AMERICA SEPTENTRIONALI BALBUTIENTE

DISSERTATIO

Quam

INTRODUCTIONI IN PHILOSOPHIAM

*Publicis Lectionibus aggrediendæ*

præmittit

& ſimul Auditores

*humaniter invitat*

JOHN CARTER BROWN.

JONAS CONRADUS SCHRAMMIUS

P. P.

HELMESTADI

Typis Georg-Wolffgangi Hammii, Acad. Typogr.

1707.

RPJCB

# JONAS CONRADUS SCHRAMMIUS
S. Th. L. & Prof. Phil. in Acad. Jul. Extraordinarius
COMMILITONIBUS
*SALUTEM!*

ELegans illa eſt & valdè appoſita ſimilitudo, Commilitones Optimi, quâ primam omnis Philoſophiæ originem depingit Philoſophus ille Græcorum, Ariſtoteles, *Lib. I. Majori*, qui vocari conſuevit, *Metaph. cap. ult.* ψελλιζομένη ἔοικεν ἡ πρώτη φιλοσοφία περὶ πάντων, ἅτε νέα τε καὶ κατ' ἀρχὰς οὖσα, καὶ τὸ πρῶτον. *Balbutienti haud abſimilis fuit prima de omnibus rebus philoſophia, quippe quæ nova non tantùm, ſed & circà rerum principia, & prima quidem occupata fuit.* Dixerat idem in præcedentibus de cauſis, quas quodammodò rebus omnes adjecerint veteres, quodammodò minimè, i. e. quod neceſſaria, quemadmodum ipſe rem explicat, ſed non ſatis diſtinctè conceperint. Et ne quis putet, hoc tantum philoſophiam primam κατ' ἐξοχὴν, ſive *Metaphyſicam*, circà quam hoc loco verſatur, attinere, omnium ſcientiarum eandem rationem fuiſſe, verbis innuit allegatis. Balbutienti verò comparat. DuVallius vocem ψελλιζομένη non in Dativo, ſed per Nominativum alicubi efferri, obſervavit, ut hic ſenſus ſit: *Balbutiens prima philoſophia in omnibus ſimilis fuit.* Sed videtur potius retinenda eſſe lectio prior, etiamſi olim

caſum per Jota ſubſcriptum non indicaverint. Comparatio igitur in eo præcipuè conſiſtit, quod non quidem à primâ veritate eâque notiſſimâ abeat intellectus, quandò primùm ad res conſiderandas accedit, quodque id proprium ſit, & à naturâ ipſi implantatum; ſed tamen niſi adjuvetur ille modis legitimis, non tantum obſcurè, quæ vult, proferat, ſed hinc inde quoque impingat.

Exempla jam ex antiquitate cum Ariſtotele quærenda non ſunt, quorum numerum ipſe haud levem in libris ſuis aliàs afferre conſuevit, ſed ex hiſtoriâ tantum noſtri temporis, veriſſimum hoc effatum eſſe, comprobandum. Incidit in manus *Itinerarium per Americam Septentrionalem* illuſtris autoris, *Baronis de la Hontan*, Gallicè conſcriptum, editumque duobus tomis *Hagæ Comitum MDCCIII. in 8vo.* In hoc opere autor præter loci naturam, mores quoque & indolem nationis, præſertim *Canadenſis*, ſtudioſè evolvit, & quod maximè æſtimandum eſt, diſcurſus, quos cum his habuit de variis rebus, eâdem ſerie ſub finem *Tom. II.* per Dialogum recenſet. Equidem novarum opinionum, & quæ plurimum noceant cum religioni tum reipubl. ſuſpicionem movit apud plures, imprimis quod ubique ſententias Americanorum de conſtitutione utriusque anteferre Europæis, vel ſaltem eodem pretio cenſere exiſtimetur. Ideoque etiam Bernardus in *Novis Literariis, MDCCV. p. 619.* non fuiſſe primum ſeſe vel ſolum, teſtatur, qui ſuſpicari cœperit, Baronem, cum prolixè de Indorum religione ac moribus referret, unà impugnare voluiſſe vel refellere Sacra Chriſtianorum. Quo tendunt etiam *Relationes de Rebus Theologicis Antiquo--modernis, Anno eod. p. 38. ſeq.* Quanquam enim Gallorum ſuorum levitatem

& per-

& perverſas conſuetudines perſtringeret hoc modo & ad veterum cùm vivendi tùm ſapiendi ſimplicitatem iterùm reducendam eſſe monſtraret, quo plures fortè ſecum ſentientes inveniret, non tamen cum his eodem loco habendi reliqui Europæi, aut cum vitiis ordo horum, qui longo uſu & prudentiâ per omnes civitates introductus, & religio vel veritas abjicienda. Fatendum eſt, ut à brutis in multis rebus homines ſuperantur, ita multò magis ſibi invicem eſſe inferiores, quacunque etiam vivant conditione. Sed nihil his ſcientiæ ipſi aut naturæ legibus decedit. Hæc regulam ſtatuendi faciunt ac vivendi, non ceream, ſed æneam, non quæ dirigatur, ſed quæ dirigat inſtituta populorum. Sed non eſt opus pluribus iſta præfari, poſtquam hanc à ſe ſuſpicionem amoliri conatus eſt autor *Animadverſione* peculiari, quæ prodiit anno ſuperiori menſe Januario Hamburgi, uti nos docent *Nova Germaniæ Literaria, eod. ann. ac menſe*; quod tamen ut facere porrò proſequatur, cum paucis adhuc & dimidiâ tantùm plagulâ ſuſceperit, rei momentum exiget. Nec fidem etiam dubiam ipſi faciemus ex illa ratione, quod diverſa referat P. Hennepin de Virginiæ incolis. Novimus ipſum Baronem falſitatis arguere Jeſuitarum & aliorum è Religioſis varias de Canadæ populis Hiſtorias. Novimus, ſi fidem ipſi habere licet, mox ingenium horum nimiùm illos deminuere, & vix tionis dicere compotes, mox verò ſuprà modum laudare, & fermè in Chriſtianis referre. Novimus, quod, cum primùm vernaculâ cum barbaris colloqui inciperet autor, tot abſurditatibus alios viderit convincendos, ut Hiſtorias illorum perpetui inſtar Pyrrhoniſmi haberet. Imò novimus denique, quid reſponderit Bernardo, ur- T. II. p. 92.

 bem

bem primariam Canadæ à Virginianâ 400 diſtare milliaribus, magnamque absque dubio inter has gentes eſſe differentiam; ſibi verò cum Canadenſibus unicè commercium interceſſiſſe, æquè ut P. Hennepinio, non cum Virginianis. Merentur tamen, uti diximus, hæc omnia ulteriorem diſcuſſionem. Nos quod attinet, locum nunc facile dabimus excuſationi, quam in Præfatione ad Dialogos præmittit; quâque rogat lectorem, ne vitio ſibi vertat, quod mentem adverſariorum ſtylo Europæis familiari accommodaverit, & per eundem expreſſerit. Parentem enim fuiſſe in cauſa, quod putaret, ridiculum eſſe, orationem e. gr. aliquam *de la Grand-Gula*, aut ſimiles, iisdem verbis proferre, quæ tot artificiis ac fictionibus conſtarent. Rectiùs facturum, ſi dictione noſtratibus nativâ ſenſum exhibeat; unde etiam copiam ſolùm literarum retinuerit, quas ſcripſerit ad parentem. Linguæ enim barbarorum ac Gallicanæ cum ipſe gnarus fuerit autor, ut de ſe ſcribit, alio ac meliore præter ipſum interprete nec indigemus, nec expetere quoque jam volumus.

Præf. ad Dial.

Quicquid verò in laudem gentis feræ & agreſtis protulit, & quicquid memoriæ de ingenio ipſorum ejusque cultu reliquit, quicquid dixit de ſcientiis, illud omne balbutiei ſimile eſt. Non attingemus totam religionis ſummam apud Canadenſes, & quàm balbè vel ſiniſtrè contrà ſentiant de myſteriis Chriſtianorum, quod ipſe Vir illuſtris in Dialogis haud potuit diffiteri. Nec medendi rationem dijudicabimus, magicam nempè plerumque & ſcurrilem, aut verò uno alterove contrà tot morbos remedio conſtantem. Alios hæc poſcunt tractatus. *Philoſophiam* tantummodò percurremus

quàm

quàm breviſſimis. Et hujus quidem ſi conſideremus adjumenta, *Judicium* utique è diſcurſu ſatis elucet. *Memoriam* admirabilem obſervavit autor. Sed in eo labuntur ſtatim, quod reliquas nationes præ ſe contemnant, unde grave contrà oritur impedimentum. *Admirationem* philoſophiæ eſſe initium ſcribit Ariſtoteles *I. Met. I.* ſed ſi ludibrium accedat, pernicies eſt. Igitur ſignum paſſim illabentis philoſophiæ erat, cum brutis ipſorum vivendi rationem convenire, objiceretur, eadem in Baronem retorquere.

T.II. p.109.

Diſciplinas porrò ad philoſophiam præparantes, minimâ tantum ex parte amplectuntur; cetera ſibi inutilia fore perſuaſi, quæ magno conatu Europæi addiſcant. *Geographorum* libellos contradictionum continuarum accuſant, patriâ ſeſe potius continentes, quæ quadringenta milliaria ambitu ſuo complectitur. Solâ ducti naturâ Tabulas illorum locorum exactas quidem conficiunt, quæ peragrârunt, ſine longitudine tamen & latitudine, Septentrionem ſtellâ polari metientes, fluminaque, montes, & ſylvas corticibus incidentes. Nam carere malunt aliis inſtrumentis, quàm ad *legendum* aut *ſcribendum* uſurpare res deteſtandas. Imò nulli uſui fore ſtatuunt *ſcripturam*, dùm more ſolito vixerint. Satis adeòq; habent, ſi bella, venationes, aut ſimilia, quibus quotidiè occupantur, hieroplyphicis tantùm & per arbores rudibus figuris exſculpant. Navibus haud delectantur, adeoque nec *navigatione*. Problemata aliquot *Geometrica* cum diſſolveret autor, admirati ſunt artem, utut exigua eſſent. *Graphometrum* ſpiritum aliquem vel Dæmonem è ſuis eſſe putarunt, cujus ope ſolâ fieri haud poſſe, rati ſunt, niſi vis quædam ſupra naturam

Dial: p. 73. ſeq.

T.II. p.104. ſqq.

accede-

accederet, ut locorum intervalla ſine chordâ innoteſcerent. Ollâ utebantur, loco principiorum *Stereometricorum*, cum fluidorum certam menſuram aliquandò experirentur, quod exemplum Autor recenſet. *Architecturæ* haud magis *Civili* ſtudent, quàm *Militari*, macerie aut palis invicem conjunctis, (*Paliſſades*,) pro munimento contenti. Superflua ipſis eſt *Aſtronomia* accuratior & ex fundamentis deducta Mathematicis, quoniam propriâ obſervatione in numerandis Lunæ orbibus nituntur, annumque dividunt; hyemesque ætate tot emenſos eſſe memorant, ſi anni repetendi. *Arithmetica* quidem præ ceteris arridet, ultrà tamen operam non dant, quàm commerciis, quæ admittunt, neceſſa-
T. II. p. 122. riò inſerviat. *Hiſtoriam* Sacram, cum quoad partem enarraret *De la Hontan*, quæſiverunt an parens hæc ejus aut avus vidiſſet. Quo ipſo etiam autorem ſedu-
T. II. p. 91. xerunt, qui fateatur: *J'ay obligation de cette idée aux Sauvages de Canada, qui ne ſçachant rapporter au vrai, qui ſ'eſt paſſé dant leurs païs, il y a deux cens ans, me font revoquer en doute la pureté e l'incorruptibilité de la Tradition. Il eſt aiſé de juger ſur ce principe, que ces pauvres peuples ſçavent auſſi peu leur Hiſtoire e leur origine, que les Grecs e les Chaldeens ont ſçeu la leur.* Poterat Græcos & Chaldæos multis in rebus adhuc diſtinguere à *Canadenſibus*, cum iſti adjumentis ad hiſtoriam, utut ex traditione conſtaret, longè melioribus, quàm agreſtes Americani abundaverint. De Hebræis tacebimus. Ex his verò apparet, quod ſtatim in veſtibulo Philoſophiæ impingant, nec mediis ad hanc ſufficientibus pergant, vel conſuetis inſtructi. Partem quidem de veritate aliquam quaſi decerpunt, & propugnant, ſed quod ejus

ejus deinde ſummam attinet, exemplo veſpertilionum malunt cœcutire.

Sed feſtinandum eſt ad ipſam Philoſophiam. *Logicam* huc primò referunt plerique, artem, quâ rationem homo perficit, & intra gyrum, ne exorbitet, compeſcit. Optimâ hâc parte neminem ſeipſum privare poſſe, rectè ſtatuunt, quoniam eam tanquam privilegium, quo à ceteris ſubſtantiis inferioribus diſtinguatur, homini indiderit Deus T. O. M. Sed quandò nec leges eidem poni poſſe, nec argumenta cogentia offerri credunt, quamdiù res fortè captum excedit, admodùm falluntur. Nam intellectum ſuum hoc pacto infinitum faciunt, qui cuncta comprehendat, quotquot in rerum naturâ vel & ſuprà hanc exiſtant. Peſtilens error eſt, quod inter alia dictum ab ipſis animadvertamus, articulos fidei, quos vocamus nos, haud firmiori fundamento inniti, quam ſomnia quævis ac mendacia. Ecquænam enim ratio hiſce aſſentiendi eſt alia, quam divina autoritas, quam reliqua omnia menſurâ ſuâ ſuperare, ipſi paulò ante aſſeruerant? Neque eſt, quod ſic periculum aberrandi effugere velint, aut Deum intempeſtiva homines deludendi cupiditate abſolvere, qui ceteroqui fidei præcepta dediſſe, & ratione tamen, quam ad diſcernenda hæc aut aſſequenda nobis ingeneraverit, prorſus & eodem momento interdixiſſe, vel penitus orbâſſe, ſit dicendus. Aut verò quod nos jubeant de opinionibus ſuis abſurdiſſimis, ſi pro myſteriis ſacris venditent, idem autumare, omnemq; rationem ad examinandum excludere, quaſi vires hujus excedant. Etenim haud ſatis inter ea, quæ rationi adverſantur, & quæ tranſcendunt, diſtinguere, apertè ſic produnt, nec

T. II. p. 117.

leges rationis inter comprobandum atque apprehendendum verè evolviſſe. Quin credunt, quod vident, & quod ſpecie ſolùm aliquâ tegitur, ab *Analyticâ* arte procul adhuc remoti. Huc pertinent, quibus ſibi Scripturam S. & intellectum noſtrum mutuò contradicere arguunt, quæque ſtudiò inveſtigarunt, exempla. Huc cauſæ illæ tendunt, propter quas in dubium vocant fidem omnem hiſtoricam, quæque ſcripta adulterina eſſe vel corrupta evincant; nimirùm quod hodiè idem hiſtoriis accidat, quod ſeculis præteritis. Utinam hîc vel ſolius providentiæ divinæ meminiſſent, ſi vel maximè præteriiſſent cauſas inferiores. Sola enim illa anſam adimit dubitandi. Non poſſumus ergò quin addamus pium Autoris ſuſpirium & adhortationem ad cives: *Miremur ad unum omnes providentiæ divinæ altitudinem, quâ permitti videmus, ut nationes illæ tàm vehementer à ſacris noſtris abhorreant, & ex his porrò proficiamus, quibus præter omne meritum noſtrum præ iisdem excellimus.* Ita quoque ex animo noſtrum eſt vovere, quotquot eò ab ipſomet adducimur.

Deveniendum jam demùm ad *Metaphyſicam.* Theologiam hanc à præcipuo objecto vocamus. In hac barbari defendunt, quod neceſſe ſit eſſe *Deum*, quoniam nihil in totâ naturâ rerum, ac nullâ in materiâ, in qua verſatur imprimis animus ipſorum, appareat, quod ſubſiſtat abſolutâ quâdam neceſſitate & per ſeipſum. Exiſtentiam probant è compoſitione hujus univerſi, quod animum noſtrum ad Ens quoddam ſupremum ac potentiſſimum manu quaſi ducat atque extollat. Quod finem concernit hujus ſcientiæ, ille idem Deus eſt, qui principium erat. Quam in rem Canadenſes hominem

non

non fortè fortunâ conditum, ſed ex origine ſuperiori dependere, quâ ſapientiâ æquè ac cognitione rerum longè vincatur. Ideoq; huc iterùm eſſe reſpiciendum. *Le Grand-Eſprit* vocant, *Mentem Summam*, item *Maitre de la vie*, *Dominum* illum, qui cunctis det *animam* ac *motum*. Definitione verò imperfecta deſignant, interrogati. Obſervârunt etiam viri docti, ac ſi nihil rerum divinarum intellectui humano concedere velint, quandò ne latum quidem unguem è terræ ſuperficie elevari poſſe credunt. Quod ſi admittamus ſibi ipſis repugnabunt ſæpiſſimè barbari. Exiſtentiam verò hujus Entis ſupremi cum ab eſſentia haud ſeparent, continere, inquiunt, omnia, in omnibus comparere, operari, & motum largiri. Atque adeò, quodcunque intuemur & concipimus, id omne Deum eſſe, qui tamen alia ſpecie alioque corpore præfigurandus haud ſit, nec termino ullo conſtringendus. Dignum hinc judicant adoratione. Quod ſi verò admirandi aliquid ipſis obveniat, cujus effectum Soli vel Aſtris adſcribere nequeant, exclamare dicuntur: *O mens ſumma, jam ubiq; te conſpicimus!* Autor vocat *des moindres bagatelles*, res nullius momenti, in quibus Deum quærant. Quo animo hoc faciat, judicare nihil attinet. Id verò jam ſcopum noſtrum iterùm in memoriam revocat, dum pio quodam errore ubique Deum venerantur homines immanſueti, quod non tàm levis herba ſit vel ceſpes, unde in notitiam Entis ſummè neceſſarii haud ducantur. Et valdè errant, qui nullam partem veri barbaros videre credunt, præcipuè quod ad hanc primam omnium cognitionem attinet. Sed ſenſu potius Numinis univerſo privari. Quò accedunt, qui cum Baylio, Lokkio, & aliis ſupponunt,

 gentium

gentium omnium de Deo ejusque naturâ & exiſtentiâ conſenſum admodùm eſſe infirmum, & hoc potius argumento, uti & innatâ, quam certo modo deſignare ſolemus, primorum principiorum rerumq; divinarum notitiâ, eſſe deſiſtendum, quàm ut fruſtrà eo pugnetur. Neque enim, utut mortalium feriſſimi fuerint *Canadenſes*, conſenſum hunc & notitiam Dei naturâ inditam, γνωςὸν illud τοῦ θεοῦ, uti Paulus appellat, magis quàm *Fetiſſi, Gvineënſes*, aut alii Americæ, Aſiæque orientalis incolæ, quicquid etiam exceperit ex *Epiſcopi Berytenſis*, item ex *Abbatis de Choiſy Itinerariis* Lokkius, haud pridem mortuus, omninò evertunt. Quanquam verò Baylio non aſſentiamur, quod Atheiſmo pejor ſit Idololatria; perniciosa tamen opinio eſt, quâ cauſam univerſalem à ſingularibus, primamque à ſecundis haud removent. Deum ſeſe adorare affirmant in effectibus naturæ potioribus ac jucundiſſimis, nec recordantur ipſâ ſubſtantiâ divinâ nihil melius eſſe vel jucundius. Hinc more veterum gentilium iterùm vitio idololatriæ incauti abripiuntur, præcipuè ſi nec definitione, quantum ſatis eſt ad hoc negotium, exactâ exprimatur. Miramur ergò, quod efferre velint naturam ſpirituum, quos credunt.

De *Immortalitate Animæ* porro ſtatuunt, quod nulla gens ſit, quæ eam inficiari queat. Videamus tamen rationes, quibus adſtruant. Unitatem ejusdem & ſimplicitatem, quò referunt etiam Immaterialitatem, concipere nequeunt, uti nec illud, quod è materiæ partibus ejus fluat deſtructio. Præcipuo ergò hoc argumento deſtituuntur, ex quo proximè & neceſſariò animam immortalem eſſe, demonſtremus. Afferunt autem inde, quod Deus, niſi velit injuſti nomen habere, poſt

Dial. p. 2. 70.

T. II. p. 114

poſt hanc vitam punire debeat improbos, & piis præmia haud denegare. Sed non ſequitur ex his, ergò animam intermori haud poſſe. Non enim repugnat per has rationes, Deum animam æquè ac corpus in vitam denuò revocare. Morales ſunt ac probabiles, non verò naturales iſtæ cauſæ, quibusque ad aſſentiendum firmiter inducamur; quanquam etiam autor noſter iisdem pluſculum indulgeat, miſſis certioribus, affectu utique ergà Americanos ſuos inſtigatus. Unde non adeò miramur, quod alterâ manu hanc animæ immortalitatem viciſſim diruerint, & objectione illum cruciaverint, quî veniat, quod Deus tot ambagibus in exercendâ juſtitiâ ſuâ utatur, qui breviori viâ deſtinata perficere poſſit, perinde, ut qui propinquiori itinere mare trajiciant, non ingrediantur curſum quingentorum circiter aut ſexcentorum milliarium. Nos quidem divinam ſapientiam, quam amplexi erant, obtendendam fuiſſe arbitramur; imbecillitatem tamen argumentorum & elumbem quaſi adhuc philoſophiam inde elicimus, cui nec Hontanius adverſatur. Ceterum non de nihilo eſt iſta controverſia, ſed in Angliâ ſuperiori anno denuò ſuſcepta, an per naturam ſuam anima immortalis ſit, an verò per ſolam gratiam divinam, & per unionem cum divino Spiritu Baptiſmali; ſolique adeò præter Apoſtolos Epiſcopi poteſtatem habeant hanc immortalitatem concedendi. Quâ de re conſulendus erit *Diſcurſus* quidam *Epiſtolaris*, & *Epiſtola*, quâ contrà hunc Animæ immortalitas vera ac naturalis vindicatur, è Patribus potiſſimùm Chriſtianis, *ad Dodwellum* perſcripta, cujus autorem Joh. Clericum eſſe, qui ſe etiam defenderit contrà obſervationes adverſarii, docent nos *Nov. lit. Bernardi MDCCVII. menſ. Jan. & Mart. ſub fin.*

Pergimus etiam ad reliquos ſpiritus, & notamus ex autore, quod *Genium* vel *Spiritum* omne illud appellent, quod intellectum noſtrum tranſcendit, & cujus cauſam ille non aſſequitur. Bonos hos habent & malos, ut ſunt, quæ homini contingant, quælibet. In illis ſunt, v. g. Somnia; (*l' Eſprit des Songes*, *Quadran Solaire*, *Reveil.*) Ex his autem Grandines, & noxia
T. II. p. 125. 126. quævis aërem agitantia, ita, ut in ſclopetis quoque inquirant aut collocent, cum vel ferri vitio vel nimiâ mole inter explodendum diſſilit, neque ex hâc claſſe ipſos arborum ramos, ſicubi fortè feriant quenquam, excludant. Porrò ſi quis morbo violento oppreſſus in furorem agitur, ſtatim ſpiritu malo dicitur excruciari. Denique & aurum & argentum, & *meum*, & *tuum*, & *Judices* aut *Jeſuitæ*, in ipſos iniqui, ſunt ex hoc genere, *Matchi Manitous*, prout appellant malos illos Dæmones. Quo ipſo, quicquid etiam de ſpiritibus fabulantur, confuſè ſatis & craſſè mentem exponunt; imò propriam, cum ſibi ſapiunt maximè, deſtruunt ſententiam. An ex actionibus barbarorum, ut ſunt artes veneficæ & pacta cum Dæmonibus, horum concedere ſubſtantiam opinandum ſit, in medio relinquimus. Prolixus eſt autor, ut ab hoc crimine à pluribus illis imputato excuſet. Ratio præcipua eſt, quod nunquam Diabolus his populis vulgari ſpecie manifeſtatus ſit. *Matchi Manitou* potius Theologos, aut *Kitchi Manitou* haud ſatis penetrâſſe, quæ importet. Singula ſe explorâſſe, ac deprehendiſſe, quod *la fatalité*, *mauvais deſtin*, *e d' infortune*, fatum aliquod ſiniſtrum, hoc vocabulo intellexerint. Quid multis? nullam hîc videas malorum Dæmonum ab operationibus ipſorum aut

præſti-

præſtigiis differentiam. Illos eſſe, nôrunt miſeri; has quotidiè experiuntur, ſuisq; cernunt oculis, imò præda Diaboli ſunt & inſtrumenta, nec tamen intelligunt, actiones eſſe ſuppoſitorum. Hoc inde eſt, quod definiant quidem, ſed haud ſatis luculenter & per proprietates ſuas, ſpirituum naturam. Miſcent potius ſpiritibus corpora, ſimplicibus compoſita, accidentia rerum vel attributa ipſis ſubſtantiis, & verbo, ſumma imis.

Nec minor negligentia in *Phyſicis* cernitur. Equidem negandum non eſt, qui in ſylvis quotidiè oberrant, rerum quoque agreſtium ſibi peritiam acquirere. Idem perſuadent venationes avium ferarumque frequentiſſimæ, piſcationes, modi ſanationum, nutrimenta, quæ Dial. p. 76.
certa ad depellendos morbos ordinare ſolent, item regulæ ſanitatis aliæ, quæ vel ſudores, vel agitationem p. 75.
corporis præcipuè in ſenibus reſpiciunt, & diſquiſitio- 76.
nes de humoribus & inſenſibili eorum tranſpiratione doctiſſimæ, quas cum Barone inſtituerunt. Quo me- p. 78.
ritò referendum eſt illud, quod morbis aliquibus, quales ſunt, aſthmata, arthritides, præſertim podagra, hydrops. & alii, quibus vexantur plerumque Europæi, non modò prorſus liberentur, ſed & cauſas hujus rei afferant, haud contemnendas. Tandem quoque præter naturam animantium, quæ ſecum naſcuntur, uſu ipſo præeunte diſtinguunt anni tempora, ſingulisque periodis Lunaribus ſigna, quibus dignoſcant, imponunt v. gr. menſe Martio à *vermibus*, qui tum præcipuè renaſci ſolent, Aprili à *plantis*, Majo ab *hirundinibus*, & ſic porrò, Lunam appellant, hujusque curſum metiuntur.

Sed quoniam artes Mathematicas ceterasque eò Tom. II.
plurimum conferentes deteſtantur, fundamentis verò p. 105. 107.

ido-

idoneis carent, ex quibus vel definiant cujusque natu-
ram, vel ab aliis diſtinguant, haud magis Phyſicos di-
p. 118 xeris, quàm apud nos viventes ruſticos & aniculas. Pri-
mus ſtatim error eſt, mundi æternitas; cum nequaquam
ſibi perſuadere poſſint, quomodò ab æterno Ens po-
tentiſſimum (*tout puiſſant*) fuerit, & tamen otio indul-
ſerit adeò, ut ne quidem citius, quàm ante hos quinq;
circiter aut ſex mille annorum intervallum, mundum
condere demùm decreverit. Sed quomodò ſaniores
philoſophi de his ſenſerint, ſatis alibi commonſtravi-
mus. Motum eſſe primum naſcendi principium, Phyſici
obſervant. De eodem etiam conſtat barbaris, ſed haud
ſatis. Cum enim in centro terræ infernum eſſe, fortè
Dial. p. 5. ab aliquibus inaudiviſſent, è naturâ gravium, & mo-
tus localis, objecerunt, quod ab animæ indole alie-
num ſit, deorſum, adeoque ad centrum gravitatis
deſcendere, cum ſit vel millies levior & ſubtilior ipſo
fumo. Verùm circà hæc utique non incidit in memo-
riam, varios eſſe motus ſpecies, ita ut violentus eò quo-
que annumeretur. Vero eſſe ſimilius autumabant, ani-
mas ad Solem evolare, ubi ſedes inferni cum propter
naturam animarum, tum propter flammas & ignem re-
ctius conſtituatur, ſiquidem & urat vehementius &
longè quoque terrâ majus ſit corpus ſolare. Φεῦ τῆς
στρεβλότητος. Quæcunque hæc ſint, impia ſunt & abſur-
da. Imò ſatis patet, quàm ægrè mentem à terrâ &
materia abſtrahant, & quàm firmiter tantùm in luto
ſuo hæreant, quod principii loco eſſe, ante vidimus,
utut inſcii conentur, cum de his rebus philoſophari
incipiunt. Quare etiam ignem hunc infernalem ali-
mento indigere, nec æternum dici poſſe, cum nec mun-
dus

dus æternus ſit juxtà opinionem Jeſuitarum, quos vocabant, à quo unicè alendus ille ſit, perperàm opinabantur; cum tamen nec Solis verum nutrimentum cognitum haberent. Vitam eſſe ſomnium ajebant, hominemque morte expergeſieri, ac mente tum demùm rerum quarumvis naturam penetrare. Scilicet! hæc cedris digna definitio eſt vitæ & mortis. Abſurdum putabant, Deum ſimulac creaverit hominem, per Dæmonem eundem tentâſſe, & in perniciem rapuiſſe; quoniam haud penitus de voluntatis ejus vel arbitrii indole ſunt informati. Linguam brutis convenire nullam, nôrunt, ſed turpiter labuntur, cum ne quidem per potentiam divinam concedunt, aut nænias putant, Deum ad perdendum totum genus humanum ejusmodi colloquia, quale erat cum ſerpente & primis noſtris parentibus, permiſiſſe. Corporum omnium toto die vident interitum, & tamen beneſicam eſſe matrem naturam produnt, quæ æternùm hominem vivere voluerit, niſi violenter ejusdem ordini ille reſiſtat. Fortè animo ad ſtatum integritatis ita aſcendunt, ſed præter revelationem in ipſo limine continentur ac hæſitant. Temperamenta hominum diverſa quidem experiuntur, ſed non gradibus ſolùm ſed ſpecie quoque inter nationes eorum differre, & pari intervallo atque dies noctesque invicem diſtare, imò & ab eodem Adamo non omnes deſcendere, falsò vivunt perſuaſi. Tigres, (*Michibichi*) animalia ſæviſſima, cum ſuccurrere ſibi cernunt, quandò cum urſis & bobus ſylveſtribus certandum eſt, non honorant ſolùm, ſed bonos Dæmones hominesque amantes putant, & vitæ priùs ultimum ſubeunt periculum, quàm unicum ex his occidant.

Dial. p. 85.

p. 77.

T. II. p. 40.



Quan-

Quanquam ſi rectius animum adhiberent, non volun-
tate eò adigi aliquâ beſtiam viderent, ut hominem libe-
ret, ſed ut prædæ inhiet, fame coacta. Tandem etiam phi-
loſophiæ naturalis valdè adhuc imperfectæ & in cunis va-
gientis indicium eſt, quod ſeſe obſervâſſe narrârunt Hon-
p. 155. tanio de *Caſtoribus* ſuis, (*Amik*, Bibern.) Nempè plus ha-
bere ingenii ac prudentiæ, quàm ut aſſeratur animus
ipſorum unà cum corpore evaneſcere. Addunt, ſi de re-
bus ſenſui haud ſubjectis, (en verò quàm dubiè ac di-
verſè ſæpiùs de his ſentiant,) dicendum, non minus
quàm noſtras animas ipſorum ab interitu eſſe immu-
nes. Chimæricam hanc jure vocat opinionem Honta-
nius, etiamſi & ipſe Tartarorum, Moſcorum, & Nor-
vvagorum plures hoc animali intelligendi facultate ſu-
perari, ſubjiciat. Id quod tamen animam bruti à mor-
talitate non liberat, nec diverſitatem quoq; naturarum
tollere poteſt, niſi propter actionum ſimilitudinem ca-
nes, ſimiasque, & alia animantia in ipſos homines com-
mutare velimus. Sufficit hos eſſe animâ rationali præ-
ditos, quæ ſola Deum & res immateriales cognoſcit,
à quâ dignitate animalia bruta abſunt quàm longiſſimè.

Tempus eſt, ut *Philoſophiam Practicam* itidem per-
luſtremus. In ea cum primò doctrina de *fine hominis*
ac *virtutibus*, quibus ad illum pervenitur, occurrat, in-
p. 112. de nobis quoque erit inchoandum. *Grands Moraliſtes*,
i. e. Moribus & horum doctrinâ excellentiſſimi noſtro
audiunt Autori. Sed benè eſt, quod addat, quandò
vitia in Europæis taxanda. Nam nubem ipſi pro Ju-
none; ne quis tàm ſplendido titulo adductus, ſcientiæ
Moralis magiſtros putet. Hæc enim ſeſe in ipſo ſtatim
principio de Summo Bono prodit ſatis ſuperque. Aú-

tor

tor ita deſcribit, (*les Sauvages ne ſont que boire &c.*) p. 110.
quod curis omnibus liberi vivant homines agreſtes,
diemque bibendo, comeſſando, dormiendo, & noctur-
nas quoque excurſiones ad feras piſcesque capiendum
terant faciendo, & quotiescunque lubet ac ſine ordine
eò ſe accingant. Quam quidem vitæ rationem fieri
non poteſt, quin inferat illa regula, quod vita potius
quàm intellectus conſervandus ſit, quodque non ſit ani-
mus macerandus multis laboribus ac vigiliis, ſed quan- Dial. p. 64.
tum fieri queat, otio continendus, contrà verò corpus
crebris itineribus aliisque exercitiis perpetuo quaſi mo-
tu agitandum. Perinde ac ſi cum animi cultu nulla
poſſet conſiſtere animi felicitas. Quâ quidem conſue-
tudine ſuâ tam mirificè ſibi placent, ut nullam magis unus
ex his, quem *Adarionem* nominat Autor noſter in Dialo-
gis ſuis, ficto tamen nomine & fortè etiam perſonâ, ad
amplectendum ſectandumque commendaret.

Videamus verò de virtutibus, quæ ad hunc finem
ducant, ejusdemque pretii videntur. Qualis enim eſt
tranquillitas, talia quoque ejus erunt adjumenta. Prius T. II. p. 112.
*principia* virtutum & fontes ſpectandi. Narrat Autor,
quod cum ad carpendum fermè mores tantùm Euro-
pæos nati ſint, cúram adhibeant ſummam, ne præſen-
tibus ex illis nationibus quibusdam ullâ in re delin-
quant, vel correctionem mereantur. Sed quanquam
ſic benè agant ad tempus, non tamen vera illa virtutis
ratio eſt, quæ ex oſtentatione provenit, nec ſpontè ſed
coactè potius opera perpetrat laudanda, ſed quæ ex ipſo
eſt virtutis habitu. Inde eſt, quod variis modis à viâ ab-
errent ipſorum actiones. Verbi gratiâ, honorare di- p. 110.
cuntur parentes, & in his ſenectutem tanto cultu affi-
cere, ut pro oraculis habeant ſenes. Neſcio tamen,

 an

p. 110. an quadret huc illud, quod ſpernant parentum conſilia, & avos ſequantur, aut quandò parens tempus ad nubendum vel ad agenda bella indicit, primùm anſam de de re cogitandi capiant; ſi avus jubeat, è veſtigio obtemperent. Cauſa eſt, quod rationi non præſtent obſequium, ſed autoritati, idque non faciant animo libero, ſed metu dudùm perculſo. Quæ certè non faſtigium ſed initia arguunt Philoſophiæ moralis. Quid enim,
Dial. p. 89. ſi ſenes bis pueri? *Elle le veut, cela ſuffit parmi nous. Vult illum filia, quod inter nos ſufficit.* Sic obedientiam, parentibus debitam, & quod horum attinet conſenſum, cum ineunda matrimonia ſunt, barbari apud Autorem deſcribunt. Item: *Oportet me hodiè filiæ conſentire, ita*
T. II. p. 102. *enim facere parentes, moribus noſtris decorum eſt.* Quis verò jam fortitudinem laudet, quæ odium nullo pretio nullisque precibus ergà inimicos, cum quibus bellum intercedit manifeſtum, extingui patiatur. Nonne cum autore hunc affectum meritò nominaveris, *la plus grande paſſion*; ac gentem, bellis continuis adſuetam, *une Societe toute machinale?* Non eſt illa fortitudo, quæ cum gentium & naturæ legibus conſpiret. Si de vir-
ibid. tutibus homileticis quærere incipias, gravitatem aliquam naturâ præferre, autor eſt *de la Hontan*, quæ ipſos valdè in actionibus ſuis & verbis reddat circumſpectos. Pergit idem, inter triſtitiam & hilaritatem medium ſemper tenere locum, ita quidem ut vividum Gallorum
Dial. p. 67. ibid. ingenium ſuſpectum non ſolùm ipſis, ſed & prorſùs intolerabile evadat, & locum tantummodò inveniat penes juniores. Hinc veſtimentorum varietatem rident, & in converſationibus ſermonum ornamenta deteſtantur. Sed quomodò cum his concilianda ſint mo-

rum

rum ſævitia, comeſſationes quotidianæ imò ſempiternæ, ſordities in victu & amictu, ingeniique tarditas, vix ac ne vix quidem è principiis moralibus apparebit. Ipſimet ſine civilitate vivendum non eſſe concedunt, atque hanc ponunt in affabilitate ſermonis ac comitate. Quid ergò hîc loci adeò fugere poſſunt verborum lenocinia, propter quæ auctor Dialogos in alienum ſermonem traducere alibi coactus fuit? Nonne perinde eſt, ſi dicam juxtà ipſos, *honoro te, benè venias, ſalve*! & juxtà Europæos, *totum me tibi obſtrictum profiteor, & quicquid poſſum officiorum offero*? Inter virtutis tandem vehicula, divitias videri volunt omninò contemnere, cum tamen ament lucra. Dial. p. 64.

Sed his tandem provehimur ad alteram partem *Philoſophiæ Practicæ*, quâ de felicitate rerumpubl. diſpicimus, & *Politica* vulgò vocari conſuevit. Abſolvitur hæc illa tractatione, quâ de verâ hujus felicitatis ratione, & quâcunque formâ civitatis illa, & quibus legibus artibusque introducenda ſit, conſilia afferuntur, horumque cum exemplis tum argumentis comprobatur rectitudo. Fuerunt qui libertate ſummâ & æqualitate perſonarum deſcripſerunt, ad quas primi hominum rerum omnium communione acceſſerint. Et Platonem quidem præcipuè hujus ſententiæ reum conſtituere ſolemus, quandò multis ille in locis & inter alia *Lib. V. de Legib.* cuncta ad communem reip. florem referri ſcribit, cum propria omninò è civitate exterminantur, cum communes mulieres ſunt, communes & liberi, communes omnes facultates, usque adeò ut oculi & aures & manus communem in uſum cernere, agere, audire videantur, laudentque ac vitupe-

rent eadem omnes,ac iisdem gaudeant. Item *Lib. V. de Republ.* ubi hæc eadem prolixius diſcuſſit. Benè tamen ad locum priorem addit Serranus,non ideò intemperantem rerum ac perſonarum ἀταξίαν innuere. Neque id probatu difficile eſt, quandò paulò poſt legem dat Plato , ut agros domosque ſortiantur, nec agros communiter colant ; ſed hoc conſilio diſtribuant, ut cenſeant ſinguli, ſuam ſortem univerſæ civitati eſſe communem. Idemque *Lib. V. de Rep. diſertè*, inquit, *conſtituendum eſt, inordinatè atque promiſcuè inter ſe miſceri, aut aliud quidpiam agere, id nec ſanctum fore in republ. BEATORUM, neque id magiſtratum permiſſurum.* Fingebat tamen iſtam & principii loco ponebat communionem, ut quo demùm ordine locentur, quæ in republ. omnibus æqualia permanent, qualis eſt labor & vitæ tranquillitas, eò melius appareret, etiamſi inter homines nequaquam ipſo actu quæſiverit. Ne verò hæc ejus mens in ſiniſtram caperetur partem, aut ad uſum transferretur, Ariſtoteles *Lib. II. de Rep. cap. III.* nervoſè admodum per cauſas oſtendit, cur non poſſit iſta incrementum reip. concernere communitas; in quibus præcipua eſt, *quod in eo procurando, quod plurimorum commune eſt, minima, nec verò æqua diligentia quàm in propriis rebus adhibeatur.* Quò nec incommoda abludunt, quæ ex inſtitutis gentium quarundam Lybiæ ſuperioris adducit, filios natos non naturæ ortu, ſed formarum ſimilitudinibus inter ſe dividentium, & ſic propinquitatem generis prorſus invicem inſtar equæ illius Pharſalicæ, Juſtæ appellatæ, confundentium. Nec enim ea hodiè mortalium perfectio eſt, ut ſine *Meo* & *Tuo* tranquillè vivere queant. Et quanquam

abro-

abrogationem τοῦ ἐμοῦ καὶ τοῦ σοῦ aliquam, uſumque adeò communionis ex parte concedere videantur Chryſoſtomus, & ex hoc Rittershuſius *Lib. VIII. Lect. Sacr. c. VII.* quibus etiam Grotius *de J. B. & P. II. 2. 2.* Fleurius *Diſſ. de Platone*, & alii accedunt, exemplis aliquot adducti; non tamen univerſam introducere unquam intenderunt.

Fallitur ergò conſilio ſuo, qui cum Autore noſtro collocutus eſt, Americanus ille, quandò triginta tan- Dial. p. 55.
tùm annis prioribus, poſt excluſa civitatibus dominia privata, deſolationem fore propter deſuetudinem, poſt verò æquè ut *Canadenſes* victuros eſſe, ſtatuit. Quo- p. 74.
modò enim commercia fuerint, quibus illi delectantur, niſi propria quiſque poſſideat? Fallitur porrò, quod *ſocietatem* fingat ſine *Legibus*, ſine *Judice* & *Sacerdote*. T. II. p. 102.
Imò quod ne quidem nomine, quid Leges ſint, ſciant Dial. p. 34.
*Canadenſes*, cum tamen concedant, eſſe aliquid juſtum & rationi conveniens. Denique etiam fallitur, quandò p. 41.
fortunatos maximè futuros eſſe mortales arbitratur, ſi nulla ſit inter cives inæqualitas. Fingit enim, quæ noluit hujus univerſi conditor, cum primum hominem produceret, & ex hoc genus ejus propagaret. Et ſanè mirandum, cum in eo eſſet, ut ſummis viribus damnaret ſervitutem barbarus homo, atque deſtrueret, (quæ ſi modum excedat, dudum ab omnibus improbata fuit,) tamen mentionem facere *mancipiorum*, à ſeipſo acquiſitorum: *Voilà mes Eſclaves, prêts pour aller* p. 76.
*à la chaſſe*; item: *Voilà mon Eſclave, qui vient m' avertir &c.* Benè eſt, quod hominem ſecundum dotes in- p. 51. p. 55.
feriores, nempè ſecundum Sapientiam, Rationem & Æquitatem, & ſecundum caracteres exteriores, qui

ſint

ſint venari, aucupari, piſcari, jaculari, & laborare, diſtinguat. Sed primùm ad ſimilem ubique menſuram iſta reducat, ne circà principia ſtatim politica opus ſit hæſitare.

Hæc omnia verò nobis viam pandunt, Commilitones, porrò in Philoſophiam inquirendi, & quænam hæc habuerit inter homines initia, & per quos gradus proceſſerit, item, quomodò nunc apicem perfectionis fermè adepta, nunc iterùm procul inde dejecta, & tenebris quaſi fuerit occultata. Addenda eò erunt ex diverſis nationibus philoſophorum hiſtoria, & ſcripta potiora, donec ſingularum partium, quam ex naturâ ſuâ habent, conſtitutionem ac ſitum attingamus. Cumque jam ante ad hanc cognitionem vobis præiverit in *Methodo ſuâ, Compendio Philoſophiæ* quæ haud pridem acceſſit, *Venerandus admodum Schmidius noſter,* hâc ipſâ vos, cum memorato Compendio frequentius utamini, *publicè* in id hoc ſemeſtri *introducere* decrevimus, & ad labores utiliſſimos, quotquot viſcera Philoſophiæ nobiſcum inſpicere cupitis, omnes ac ſingulos die Martis, qui erit XVII. Maji, invitamus.

Valete. P.P. in Ac. Jul. d. X. Maji
MDCCVII.

HT